



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Foenice aue. Cap. LXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII DE VITA

memoria consequutus est. Nam adhuc quidem licet contemplari ter beatæ animæ tumulum apostolici nominis appellatione decorari, & ad Dei populum aggregari, diuinisq; cæremoniis & mystico sacrificio sanctarumq; precationum societate perfrui, atque etiam post mortem cum imperio esse: tanquam iam in filiis reuiuiscens summam imperij administraret, Victor, Maximus, Augustus ipsa appellatione vocitatus.

De Fœnice aue. CAP. LXXII.

NEque tamen ita vt Aegyptia illa auis, quam aiunt, cum naturæ prouidentia vnica sit, sibi ipsi mortem consciscentem in aromatum aceruo emori, ex cineribus verò eius reuiuiscere & excitari aliam eiusmodi, qualis ipsa fuit: sed seruatoris sui exemplo, qui pro vno fere tritici semine, benedicente Deo, spicam multis seminibus refertam exhibuit, suoq; fructu vniuersum orbem compleuit: ita is ter beatus per trium liberorum successione, pro vno multiplex redditus est: Ita vt in imaginibus & picturis apud omnes gentes, vna cum liberis suis eundem honorem adeptus sit, & Constantini nomen etiam vita sua retineat.

*Quomodo in nummis Constantinum tanquam in
caelum ascendentem sculpsert.*

CAP. LXXIII.

IAM verò in ipsis nummis exsculptæ formæ, quæ vna parte beatum hunc nostrum obuoluto capite repræsentabant: altera parte quadrigis, instar aurigæ infedentem, demissa illi cœlitus manu dextra exceptum.

*Quòd Deus ab eo honoratus, iure eum
vicißim honoribus affecerit.*

CAP. LXXIIII.

HÆC exempla cum omnium mortalium Deus in solo Constantino, qui ex omnibus Christianis maxime tandem aliquando Christianus declaratus est, nostris oculis proponeret, nimirum ostendere voluit, quantum
inter